



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Doctrina Theologica D. Gummari Huygens In Quibusdam Speciminibus Exhibita

Amstelbeeck, Rudolf von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

urn:nbn:de:hbz:466:1-39044


...
lli
mosi
...
lino.


h
7

447
Th 447.

D. 1
36







DOCTRINA
THEOLOGICA

D. GUMMARI HUYGENS

I N

QUIBUSDAM SPECIMINIBUS

E X H I B I T A

A

RUDOLPHO AB AMSTELBEECK.



COLONIAE AGRIPPINÆ

Apud PETRUM AB EGMONT.

M. D C. X C I.

DOCTRINA

THEOLOGICA

D. GUMMARI BOYCE

II

QUINQUE SPECIMINIBUS

EXHIBITA

A

RUDOLPHO DE ANSBERG



COLONIAE AGRIPINAE

IN PETERO DE HONORI

M. D. C. XCV

PRÆFATIO

A D

L E C T O R E M.

DO paucis, benevole Lector, quædam specimina Doctrinæ D. Gummari Huygens. Excerpta sunt hæc ex Ejus Theologiæ Compendio impresso Anno 1679. superiori anno ab Alexandro VIII. damnato; Item ex Ejusdem Compendio reimpresso & aucto Anno 1684. Ex Ejus Methodo remittendi & retinendi peccata, à Toletana Inquisitione proscripta: ex Ejus Dictatis, quæ manu Notarii Publici sunt authenticata; ex Conferentiis Theologicis & Thesibus eo Præside in Collegio Pontificio habitis & defensis.

Quid censendum de tota ea doctrina, tuo & aliorum relinquo judicio. Fortasse ubi maturiori trutinâ eam expenderis, non miraberis, tantùm toto Belgio esse turbarum & contentio-
num

P R Æ F A T I O.

num. Imbuitur illâ, eo Magistro, Lovanii Theologica Juventus: quæ uti est novitatis avida, ita frequentissimo concursu ad eum undique confluit. Et quia à Discipulis, in verba Magistri, ut fieri assolet, facile jurantibus spargitur proniùs, ab his tum in Catholicum, tum in Confœderatum Belgium circumfertur passim & venditur: quanto animarum periculo & dispendio, quanto Reipublicæ scandalo, viderint & curent alii.

Sicuti doctrina Huygeniana ad varias materias se extendit, ita in Lectoris commodum eam in varias classes divido; &, ubi opus visum est, lucis gratiâ, parvam adjicio Annotatiunculam.

(5)

DOCTRINA
THEOLOGICA

D. GUMMARI HUYGENS

In quibusdam Speciminibus
exhibita.

§. I.

*Ejus Doctrina circa Reges, eorum-
que Milites.*

DE Regibus in Thesibus publicis,
quibus in Collegio Pontificio
præsedet 14. Junii 1689. ita pro-
nuntiat intrepidè. *Non facilè reperitur Reg-
num, quod Princeps aliquis justè possideat, nisi
primum tyrannicè occupatum, deinde successu tan-
tùm temporis justè continuatum.* Atqui facilè
reperitur V. G. Regnum Hispaniarum
&c. Vereor itaque plurimùm, ut hic
placeat D. Huygens Serenissimo Regi
Catholico, ejusque Ministris.

A 3

De

De Militibus vero sub Rege merentibus, in Compendio damnato ab Alexandro VIII. pag. 41 42. hæc dat. Non excusamus equidem eos, qui cuilibet Principi (etsi Christiano, imo Catholico) bellum gerenti eo modo, quo hoc tempore solet, ad militiam sese offerunt cum indifferentia, nisi quod illorum partes amplexari eligant, qui plus aut promptius solvunt. Unum hic Animadverto, quod Christiano & Catholico scribat per magnum C. videat Lector, quos denotet.

§. 2.

*Doctrina D. Gummarii Huygens
circa Decreta Pontificum.*

Tertiâ Septemb. 1682. Impertinenti
3. hæc in Collegio Pontificio præ-
ses sustinuit. Si ob Decretum Alexandri VII.
quempiam accusandum putes, quod teneat sensum
ab Authore ibidem nominato intentum, tria tibi
probanda incumbunt: primum, quod Author iste
hunc sensum, de quo accusare vis, intenderit:
secundum, cum non omnis istius Authoris sensus sit
condemnatus sed aliquis tantum; probandum tibi,
quod hic determinatè sit condemnatus. Tertium,
quod hunc intentum & condemnatum teneat ille,
quem

quem accusas. An hæc eò non tendunt, ut & sensum Jansenii ipsum possit in omnibus sequi, nec tamen de damnato convinci?

Quintâ Februarii 1683. Conclusionē I. præfedit ibidem huic: Novi ego quibus displiceat, resuscitari antiquam contentionem de sensu Cornelii Jansenii: quod me attinet, ob religiosam observantiam, quam illis debeo, firmiter statui, ea de causa Jansenium (idem dico de Baio) non solum in hisce Thesibus, sed & in nullis aliis ne nominare quidem. Quo fucus hic spectet, per se patet; cum nec ipse, nec ullus ejus factionis adduci possit, ut propositiones, quæ ab Innocentio X. & Alexandro VII. ut hæreticæ in sensu Jansenii sunt proscriptæ, in sensu ab Authore intento hæreticas esse profiteatur.

In Compendio reimpresso 1684. Pertinenti (quod vocat) 50. pag. 322. Vix, ait, est possibilis casus, quo dentur rationes sufficientes, saltem in persona privata, ad dispensandum in voto perpetuæ castitatis. Constat interea, Summos Pontifices plus vice simplici in eo voto cum personis privatis dispensasse.

*Doctrina D. Gummari Huygens
circa Doctrinam Sacram,
& Angelos.*

DE illa agens in damnato Compendio pag. 1. Rudes, inquit, *Metaphorica proprie accipiendo, proni sunt in errores crassos circa Deum & res divinas. Cum picture Deitatem representantes, vel sanctissimam Trinitatem, aut Angelos, aut etiam alias res spirituales, sint quedam Metaphora, idem hic observandum. An non respiciunt hæc 25. inter 31. damnatas ab Alexand. VIII. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare?*

De Angelis custodibus hominum hæc habet in dam. Comp. pag. 9. *Angelum custodem... habent Electi, & FORTE etiam Reperi. Dubitat igitur, an & his de Angelo Custode sit prospectum. Adversatur verò doctrina hæc SS. Patribus, & communi sensui Christianorum, singulis hominibus etiam Reperbis indubitatè singulos Custodes Angelos attribuentium.*

*Doctrina D. Gummari Huygens
circa liberum Arbitrium Actuum
humanorum.*

UT in libertatem actuum humano-
rum involet solertiùs, ita statuit
in dictatis publicis, de quibus supra
art. 1. observ. 1. Amor ... beatificus ... rectè
dicitur esse liber, etiam à necessitate, & magis
quam ulla actio nature lapsæ, aut hominis in statu
innocentiæ, aut Angelorum viatorum.

Eadem repetit in dam. Comp. pag. 12.
in ipso amore beatifico major est à necessitate liber-
tas, quam in ullo amore Viatoris.

Rursus in dictatis, de quibus supra,
art. 1. observ. 1. Nulla actio hominis in hoc
statu nature lapsæ ita est in nostra potestate, ac
proinde nulla tam justo titulo vocatur humana,
quam amor beatificus.

Etenim si aliquod bonum ipso Deo melius per
impossibile existeret: & rursus, si per impossibile
melius foret ab amore Dei cessare; utrumque in-
tellectui adeo illuminato promptissimè occurreret;
voluntas quoque ... promptissimè se ipsam deter-
minaret vel ad majorem istius boni amorem, vel
ad amoris Dei cessationem. Ibid. Quia

Quia verò videbat hæc parum confiteri cum communissima libertatis definitione; ita eam præoccupat in dictatis supra citatis artic. 1. observat. 2. *Objicies fortè, quod definitio libertatis hæc, nimirum potestas ad agendum & non agendum positæ &c. repugnet libertati amoris beatifici: verum in-
trepidè negamus illam definitionem: neque enim tanta vel autoritate vel ratione nititur, ut eam admittere cogamur: nec etiam adeò benè de Theologia merita est, ut eam vel explicare teneamur: etenim nimium propendet in Pelagianorum, & Semipelagianorum errores.*

Ut hæc magis inculcet, ita profequitur in dam. Comp. pag. 12. *Definitio illa libertatis, potestas ad agendum & non agendum &c. non fuit nota Aristoteli, & cum etiam SS. Augustino & Thomæ ignota fuerit, modò non est necessaria Theologia.*

Quam verò inimica sit tota doctrina hæc libertati humanorum actuum, aliorum judicio relinquo.

*Doctrina D. Gummari Huygens
circa hominum ignorantiam
& probabilitatem.*

Circa ignorantiam juris naturæ, genericè acceptam, hanc in dictatis sup. cit. art. 8. observ. 4. post non pauca concipit interrogationem. Verum petes, an ex opposito antecedentis vicissim sequatur oppositum consequentis; id est, an supposito, quod ejusmodi ignorantia non esset voluntaria, sequeretur, quod actio inde procedens non esset peccatum? Ad hanc verò hæc reponit intrepide: R. hanc secundam consequentiam non videri subsistere. An non incurrunt hæc in hanc 46. Bajanam, Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium? Et in 2. inter 31. proscrip-tas ab Alexand. VIII. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali?

Dicet fortasse, fulmen, quo perstringitur Propositio ultima, me non impetit; illa enim ignorantia, de qua ago, est (ut in finio observ. ead.) supponeretur esse
non

non voluntaria, rectè adhuc vocaretur vincibilis.
 At quæro, cur id ita censeat? quia, inquit ibid, *absolutè vinci potest, saltem per gratiam.* Non alia igitur de causa ignorantia illa vocari potest vincibilis, quam quia gratia, quæ tamen hic & nunc non datur, dari potest aliqua, per quam posset vinci. Atqui ignorantia, quæ non alio modo hic & nunc vinci potest, quam per gratiam, quæ quidem hic & nunc non datur, sed dari potest, hic & nunc omnino est invincibilis: patet igitur, eum effugio suo sterili iustum Alexandri non declinasse.

De ignorantia in casu particulari in Comp. reimpresso 1684. pag. 178. hæc docuit: *Ipsamet (ut alia taceam) ignorantia malitia, ex qua procuratur pollutio V. G. semper est voluntaria.*

De probabilitate in dict. publ. cit. sup. q. 19. observ. 2. & in Thesisibus propositis 10. Julii 1687. dogmate 3. *effatur indefinitè. Omne probabile, pro ut ... illud accipiunt recentiores, est dubium.* Ergo nullum probabile (pro ut illi id accipiunt) licitum est sequi; cum nullo casu licitum sit sequi verum dubium, etiam illorum Recentiorum iudicio:
 pra-

practicum scilicet, de quo solo hic li-
tem movere potest. *Non licet ergo sequi opi-
nionem, vel inter probabiles probabilissimam*; nam
opinio inter probabiles probabilissima,
certò est probabilis: atqui & doctri-
nam hanc proscripsit Alexander VIII.
propositione 3. inter 31. & quidem *Tò*
opinionem probabilem accipiendo, prout ac-
cipiunt Recentiores; quod non diffite-
bitur, quin imo vult mordicus D.
Huygens ipse; & per se patet: Rur-
sus igitur incurrere videtur ejus dogma
in hanc proscriptam.

§. 6.

*Doctrina D. Gummarii Huygens
de libertate sine gratia.*

NUllibi magis candidus est, quam
hic. In compendio reimpresso anno
1684. impertinenti 107. pag. 331.
hæc ponit rotundè. *Si gratia sufficiens re-
quiratur ad libertatem, gratia non est gratia.*
Eadem tuitus est Præsides Thesis
13. Augusti 1683. Mirabitur lector,
eum S. Augustini alibi tam studiosum,
hic tam apertè ausum pugnare contra
hoc

hoc ejus Epist. 89. ad Hilarium, Pelagianos perimens & dilucidum dogma, *Libertas sine gratia, non est libertas.*

Sed flocci facit hunc Magistrum, ut suo adhæreat Pseudo-Augustino, quem præ illo deperit. Constat igitur sibi in Thefib. 10. Julii 1687. dogmate VI. *posse credere, & posse amare Deum, est natura.*

Quin imo proficit in Thefibus 3. Martii 1684. *Nihil.... à veritate magis alienum, quam hæc assertio: ad libertatem requisitam ad actus fidei, spei, & charitatis, omnes necessitatem gratiæ admittant necesse est.*

Quin & pergit audacter ibidem. *Quare non dubitamus contra asserere; ad libertatem requisitam ad actus fidei, spei, & charitatis, nulli necessitatem gratiæ admittant, necesse est.*

Rursus ibid. *Homo.... habet.... sine Dei adjutorio illam (id est, credendi, sperandi, diligendi, aut pœnitendi, ut præmiserat) potentiam, sicut homo sine lumine habet visivam, sive visum, etsi fieri non possit, ut sine lumine videat. Nam potentiam credendi, sperandi, &c. habet à natura.*

In Thefibus mense Aprili 1688. Paragrapho quarto conclusionis tertix hunc ponit titulum. *Ex SS. Augustino & Thoma probatur, nullam requiri gratiam pro liber-*

ber.

bertate, sive libero arbitrio credendi, sperandi, &c. Paragraphum autem sic exorditur. Si ad libertatem, sive liberum arbitrium credendi, sperandi, &c. non requiritur potentia proximè expedita, sufficit remota. Si sufficit remota, nil amplius obstat, quo minus dicantur sufficere intellectus & voluntas, agentes modo suo connaturali.

Hinc infert ibidem. Sicut ergo nulla gratia requiritur, ut quis habeat intellectum & voluntatem, etiam connaturaliter agentes; ita quoque nulla exigitur, ut quis dicatur posse habere fidem, & posse habere charitatem.

Hinc infer (prosequitur ibidem) ergo ex mente Augustini peccaret non credendo & non amando, qui tamen nullam haberet gratiam credendi & amandi. De consequentia non dubites; de consequenti certus sis.

Quod si tamen (ait ibidem) ulterius inferas, tales non credendo, non amando, ex mente Augustini non peccare; nihil magis à mente ejus alienum dici potest. Quare?

Quia (inquit ibidem) Juxta S. Augustinum ad peccatum omissionis fidei &c. Sufficit potentia remota, quæ habetur sine gratia.

Rursus ibidem. Notatu dignum est, quod per illum Facultatis Duacensis discursum non solum conficiatur, quod ad liberum arbitrium sive ad
li-

libertatem bene agendi, non requiratur gratia salvatoris proximè sufficiens; sed etiam quod non requiratur remotè sufficiens; id est, quod non requiratur ulla gratia ad illam libertatem.

Convenit (ut patet) tota doctrina hæc cum doctrina Pelagianorum, qui (teste Augustino lib. de Hæresibus cap. 88.) *Dei gratiæ in tantum inimici fuerunt, ut sine hac POSSE hominem crederent facere omnia Dei mandata.*

§. 7.

Doctrina D. Gummari Huygens De Morte & Meritis Christi respectu salutis hominum. De Gratia & Auxilio ad salutem sufficiente.

TRanseo ad libertatis perfectæ necessarium subsidium; gratiam inquam salvatoris; qua infirmitati humanæ divina bonitas voluit succursum. Quia verò ex Meritis & Morte Christi, ut ex primo suo fonte illud fluere necesse est, quam sterilem, & ad quam paucos rivulos se extendentem hunc fontem exhibeat, paucis do.

In

In Compendio impresso anno 1684. pag. 208. merita Salvatoris his terminis circumscribit. *Meritus est Christus hominibus reprobis omnia ipsorum dona supernaturalia; quod etiam dici potest de naturalibus, quæ diriguntur ad temporalem ipsorum justitiam: electis verò meritus est vitam æternam cum omnibus donis, quæ ad illam cooperantur.* Notasti, Lector, cum de merito Christi respectu Reproborum sermo est, nullam mentionem ab eo fieri, nisi de solis donis supernaturalibus, naturalibusque, quæ ad temporalem ipsorum justitiam diriguntur; cum verò de ejusdem Christi meritis meminit respectu Electorum, ea extendi etiam ad vitam æternam. Credo te palpare, eum id velle, Christum merita morte sua & sanguine parta non extendisse, salutem quod attinet, nisi ad salutem dumtaxat prædestinatorum. Vides igitur doctrinam hanc coincidere cum propositione quinta in Jansenio damnata; de qua ita pronuntiat Innocentius X. *confit. cum occasione & Alexander VII. confit. ad sacram. Eam intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* B Vi-

Vides, inquam, doctrinam Huygenianam coincidere, cum damnata hac, & quidem accepta *in sensu* (in quo eam esse prosriptam declaravit Alexander VII.) à Corn. Jansenio intento: etenim etsi & de Reprobis illud doceret lib. 3. de gratia Christi cap. 21. col. 386. *Pro his ... in tantum mortuus est, & in tantum propitiatio peccatorum est, & in tantum rogavit Patrem, in quantum temporalibus quibusdam divina gratia effectibus exornandi sunt; hoc tamen unum intendebat, perseverantiam & salutem quod attinet, Christum morte sua nulla seria voluntate intendisse perseverantiam aut salutem Reproborum, sed dumtaxat Prædestinatorum. Patet id ex iis, quæ dat col. cit. Quibusdam hominibus dare prædestinavit fidem, charitatem, & in ea perseverantiam usque in finem, quos absolute prædestinatos, electos, & salvandos dicimus ... pro istis in æternum vivificandis mortuus est, pro istis ab omni malo liberandis rogavit Patrem suum, non pro cæteris, qui à fide & charitate deficientes in iniquitate moriuntur. Idem agit toto illo cap. 21.*

Æquè parca exhibet Christi merita in dam. Comp. pag. 24. indefinita Oracula

la hæc, Deus vult omnes homines salvos fieri, &c. ita coarctans : Ex his sententiis ; Deus vult omnes homines salvos fieri : Christus pro omnibus mortuus est , &c. non potest ulla verisimilitudine inferri , quod omnibus detur auxilium sufficiens ad salutem ; nisi intelligendo sufficiens , quod non sufficit.

Rurfus in eodem dam. Comp. Pertinenti 7. ad I. 2. ante pag. 29. Ex eo quod Christus pro omnibus parvulis est mortuus , & baptismum instituit , non rectè colligitur , sufficiens eos contra peccatum habere remedium.

Et in Compendio reimpresso anno 1684. pag. 209. quod & sustinuit 6. Februarii 1681. Thesi 3. Christus nihil meritus est Angelis ; neque omnibus hominibus auxilia verè sufficientia ad salutem.

Docent nos interea irreformabili suo iudicio Innocentius X. & Alexander VII. in constitutionibus supra citatis Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse , & sanguinem fuisse. An cogitari potest , tam arduum & pretiosum pretium impensum fuisse alio fine , quam ut eo omnibus omninò compararentur subsidia ad salutem sufficientia & necessaria ?

In Thesibus propugnatis 8. Maii

B 2

1681.

1681. conclus. 2. hæc probavit. Nec tamen omnes passionis beneficium recipiunt, adeoque nec omnes gratiam sufficientem: quam si pro libertate ad supernaturalia requiras, cogaris admittere, quod ipsa non sit ex meritis Christi, & quod pro eo orandum non sit; vel certè quod homines (modo satis sint scelerati) ad supernaturalia non obligentur. Confectarium bimembre absurdum, quod ex propositione sana hac, pro libertate ad supernaturalia requiritur gratia sufficiens, elicit; nemo non abjudicabit.

Nec minus displicebit dogma hoc, quod protrudit in dam. Comp. pag. 24. Non datur omnibus gratia sufficiens . . . neque verum est, quod sine gratia sufficiente adulti non essent liberi ad supernaturalium præceptorum adimplerionem. Affinia sunt hæc iis, quæ dedi supra §. 6.

Ast attentius excipe hoc ejus de gratia sufficiente effatum, ab eo propugnatum, dum præfedit Thesibus defensis 30. Julii 1676. in Impertinenti.

Nova doctrina de gratia sufficiente, quæ omnibus & semper præsto sit, pro rebus agendis comparavit intellectui probabilitates, voluntati excusationes varias, Deum & proximum amandi: & pro

pro iis quæ male acta sunt , summam pœnitentiæ facilitatem. Non mirum proinde , quod hæc omnia , quæ sunt totius moralis corruptio , passim ab iisdem sustineantur.

Dubitari non potest , quin Tò semper præsto sit , ita accipiat , ut passim accipiunt Authores , qui pro gratia sufficienti , quæ semper præsto sit , pugnant : atqui ii illud ita accipiunt , ut gratia semper præsto sit , quando peccaretur formaliter non implendo præceptum supernaturale ; ergo doctrinam de gratia vel auxilio sufficiente , quæ semper præsto est , quando peccaretur formaliter non implendo præceptum supernaturale , censet comparasse illas probabilitates & excusationes , & pœnitentiæ facilitatem , quæ totius moralis sunt corruptio. Cruda sanè assertio.

§. 8.

*Doctrina D. Gummari Huygens
de Gratia efficaci , &c.*

DE hac in dam. Comp. Pertinenti §. ad 1. 2. ante pag. 29. ita scribit. *Pone non dari impetum sine motu : an idcirco corpus grave nulli impetui resistit ? Qua igi-*

B 3

tuy

tur rationis specie negatur resisti gratiæ, etsi singuli hujus gradus semper in nobis obtineant id, quod per illos vult Deus? Vides, benevole Lector, ab eo resistantiam gratiæ nullam admitti, nisi lapideam; atque adeo resistantiam nullam pervicaciæ voluntatis deliberatè in flagitium tendentis? An non coincidunt hæc cum propositione 2. Janseniana hac, Interiori gratiæ in statu nature lapsæ numquam resistitur; & quidem in sensu à Jansenio intento? Constat sanè interiori gratiæ numquam resisti, ex mente ipsius aliud non esse, quam nullâ voluntatis pervicaciâ fieri, ut non sequatur ille effectus, ad quem gratia à Deo datur. Hanc suam mentem nitidè paucisque explicat lib. 3. de gratia Christi cap. 6. Col. 263. his verbis. Hinc ulterius docet, Augustinus, nullam Christi gratiam effectu operis, ad quem efficiendum voluntati datur, ulla voluntatis pervicaciâ frustrari. Videri etiam potest lib. 2. de gratia Christi cap. 24. Col. 200. & alibi.

Audi etiam eum Instructorem in Conferentia 20. partis I. proposito 4. pag. III. *Quid populus docendus est de gratia?*

... illud, quod illi, qui in ...

ria? Resp. Docendus est, quod gratia sit auxilium supernaturale FACIENS nos cognoscere, velle & operari actiones salutare, & Deo gratias. His affinia habet in damnato Compendio pag. 30. Cùm verò præter eam, quæ nos faciat cognoscere, &c. nullam aliam populum doceri præscribat, patet quod velit eum doceri, in statu naturæ lapsæ omnem gratiam obtinere suum effectum; atque adeo nulli resisti sensu in Jansenio damnato.

Quid verò dicemus de propositione hac, quam dat in Compendio reimpresso Anno 1684. Impertinenti 73. pag. 325. *Sententia Augustini* (id est Pseudo-Augustini, seu Jansenii) *de gratia efficaci* (quam solam re ipsa admittit) *plus ducit ad frequentiore Eucharistiæ usum, quam sententia Molinae?*

Non minus confidens est hæc, quam lego in Compendio reimpresso Anno 1684. impertinenti 79. pag. 326. 327. *Uti doctrina Molinae de gratia sufficiente non stabilitur per damnationem quinque propositionum ab Innocentio X. & Alexandro VII factam, ita quoque per eam nullatenus enervatur doctrina S. Augustini, sive Lovaniensium (Huygenianorum) de gratia per se efficaci; præter quam*

scilicet illi Lovanienses nullam aliam re ipsa admittunt.

Non probabitur etiam omnibus, nisi fallor, doctrina hæc, ab eo descripta in *dam. Comp. pag. 23.* Hinc, sicut etiam ex necessitate gratiæ rectè colliges explorandam esse divinam vocationem, priusquam ad *Consilia Evangelica* quis voto se obstringat.

Non dissimulemus etiam assertionem hanc, quam dedit 3. Julii, aliisque diebus 1668. inter Theses Philosophicas Thesi 4. *Metaphysicæ. Libertati nostræ . . . non obstat quoque gratiæ divinæ efficacia. Nec refert, quod hæc natura lapsæ non solum det posse, ut olim natura integræ; sed etiam ipsum velle, &c.* Censet ergo cum Jansenio, discrimen inter gratiam naturæ integræ & lapsæ ex eo petendum esse, quod hæc, non illa ex se sit efficax. Nullam igitur cum suo Pseudo-Augustino in statu naturæ lapsæ agnoscit aliam, quam quæ sit efficax: quod nullus umquam Thomista docuit.

Huic adjice, quod de statu naturæ integræ pronuntiat in *dam. Comp. pag. 70.* *Non putamus, quod in statu innocentia opus fuerit orare pro impetranda gratia.*

Adjice & illud *ibid. pag. 28.* *Dictum istud:*

fa-

facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam, in obvio sensu non admittimus, si quidem nimium favet erroribus semipelagianorum.

§. 9.

Doctrina D. Gummari Huygens de timore servili.

TImor hic illi totus displicet. De eo hæc pronuntiat in Dict. pub. de quibus supra, quæst. 6. artic. 6. obs. 1. Numquam ex solo timore poenæ retractatur voluntas peccandi, sive offendendi Deum. Mirum non est, quod subinferat ibidem; adeoque nulla Attritio ex solo timore poenæ sufficit ad justificationem cum Sacramento quocumque.

Affinia his habet in dam. Comp. 34. Dum poenas times, & non amas, venialiter delinquis, non quia times, sed quia non amas. Laborabit, ut expediat hoc dogma à 14. & 15. inter 31. dam. ab Alexandro VIII. Timor gehennæ non est supernaturalis. Et Attritio, quæ gehennæ & poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentia Dei propter se, non est bonus motus, & eo supernaturalis.

In-

Inculcat eadem rursus in Comp. re-
 impresso 1684. Pertinenti 76. pag. 326.
*Sicut non benè dicitur displicere Deus, quia dis-
 plicet pœna, quam infligit; sic nec dici debet
 displicere peccatum, dum tantum propter pœnam
 displicet.*

Ibidem pag. 241. 242 Pœnitentia...
*est virtus, qua peccatum, ut Dei offensa est,
 detestamur cum proposito ab offensa cessandi,
 eamque compensandi. Ex prima definitionis parte
 rectè inferitur, quod etiam aliunde constat, pœ-
 nitentiam debere procedere ex casto Dei amore;
 nam si ex solo timore pœne, non tam erit de-
 testatio offensa Dei, quam detestatio pœne. Co-
 natur id probare Authoritate D. Tho-
 mæ p. 3. q. 83. art. 5. An non in-
 juriè? Tu Lector judica.*

§. 10.

*Doctrina D. Gummari Huygens
 de Fide, Spe, & Charitate.*

Non nisi Charitatem hic spirat u-
 bique. Quidquid Fidei, aut Spei
 elicitur, constare id simul vult etiam
 benevola Charitate. Fides, inquit in
 dam. Comp. pag. 29. *Charitate formatur,*
 po-

*potestque de formata fieri informis ; non tamen ita ,
ut omni prorsus careat dilectione.*

Rursus *ibid.* pag. 31. *Omnis actus fidei procedit ex pia motione voluntatis divinam veritatem sive veracitatem amantis.* Si omnis actus Fidei procedat à motione voluntatis amantis , ubi motus omnis illa seu amor deficit , deficit etiam Fides : ergo ubi motio illa omnis seu amor in magnis deficit peccatoribus , deficit etiam in illis fides : atqui dogma illud tamquam *temerarium , scandalosum , &c.* proscripsit Alexander VIII. propositione 12. inter 31. his verbis : *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor , deficit etiam fides , &c.* Pertinet igitur dogma hoc Huygenianum (quod & de proximè Superiori annota) ad propositionem hanc proscripam.

Quod de actu Fidei dixerat , docet & *ibid.* pag. 33. de actu Spei. *Nequit , inquit , . . . in aliquo esse spes Theologica sine omni dilectione Dei.* Nempe quia nulla ei actio humana bona est sine charitate , ut statim patebit. Pertinet igitur dogma hoc ad septimam inter 31. ab Alexandro VII. proscripam , quam mox dabo.

Per-

Pergit consequenter de Charitate ibid, pag. 34. *Juxta S. Augustinum Charitas est bona voluntas, seu dilectio Dei propter se: hoc modo loquendi charitas, id est, bona voluntas potest in peccatore esse sine remissione peccatorum. Quid de hoc dogmate censendum, tu Lector perpende. Hæc est inter Baianas 31. Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in poenitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. Accipe etiam 32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.*

De actionibus humanis ibid. pag. ead. hæc pronuntiat magnisonè. *Nec potest sine illa (charitate) exerceri opus undequaque bonum, imo nec tale, quod caret omni prorsus culpa. An discrepat doctrina hæc ab hac damnata ab Alexandro VIII. propositione 7. inter 31. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala? An non & refertur ad hanc 16. & 38. Baianam; Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate. Et, Omnis amor creature rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne pro-*

prohibetur ; aut laudabilis illa charitas , qua per Spiritum Sanctum in corde diffusâ , Deus amatur.

Pergit porro ibid. pag. ead. Et consequenter etiam non salutaris Attritio, scilicet sine charitate exerceri potest unde quaque bona ; imo nec talis, quæ careat omni prorsus culpa. Proscripta est interea ab Alexandro VIII. 15. hæc : Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentie Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

In dam. Comp. lego pag. 22. Omnia Decalogi mandata sunt indispensabilia, prout est & istud, quod eorum quodlibet impleri debeat amore justitiæ.

Ibid. pag. 37. Ita explicat præceptum dilectionis Dei. Quoties ergo, inquires, Deum super omnia diligere debeo? R. Non solum sæpius in vita, nec tantum sæpius in anno ; sed toties, ut morali quodam modo loquendi omni tempore de te verè dicatur : Deum super omnia diligit : Deum amat usque ad contemptum sui : in eo regnat Dei amor : non regnat in eo mundi cupiditas. Ad hanc dilectionem Dei super omnia agnoscimus obligationem sub mortali.

Ibidem pag. 34. hæc effundit. Si cum S. Augustino loquaris, dic charitatem posse reperiri in Judo, Mahumetano, & quibusdam infide.

delibus inferioris notæ, quam sint hi : quæ omnia negabis, si hic cum S. Thoma loquaris. In his omnibus placet modus loquendi S. Aug. præ S. Thom. eo quod S. Thomæ hodie à quibusdam facilius trahatur ad patrociniū laxitatum.

§. 11.

*Doctrina D. Gummari Huygens
De Actionibus referendis in
Deum.*

DE his in dam. Comp. pag. 36. ait dilucidè & succinctè. Omnia debent actu, vel virtute referri in Deum. Virtute, id est, actu tenui.

Confirmat hæc Confer. 9. part. 1. quæsitio 3. pag. 42. Citra dubium Dei Dominium respectu hominis perfectius erit, si omnia opera nostra in illius honorem dirigere debeamus; quam si ad hoc non obligemur : quare concludendum, quod extet ejusmodi obligatio, quia dominium Dei est perfectissimum.

Stringit hæc arctius in dict. publicis, de quibus supra, quæst. 18. art. 2. obser. 1. actus vel ex charitate, sive casta Dei dilectione refertur in Deum, & tum est bonus : vel non refertur, & erit malus. Sed
in

infortunatè stringitur 7. inter damna-
tas ab Alex. VIII. *Omnia humana actio de-*
liberata, est Dei dilectio, &c. Dedi eam su-
pra pag. 28.

§. 12.

Doctrina D. Gummari Huygens
De differenda Absolutione Sa-
cramentali.

Circa Consuetudinarium pœnitentem ita sibi objicit & resolvit in Methodo Tr. 1. q. 4. dub. 4. pag. 73. *Fam verò, quid si consuetudini immersus sine prævia vitæ mutatione, enarratis ex ordine peccatis, è vestigio (ut in more positum quibusdam) absolvi desideret? Non est, quod absolutionem Confessarius acceleret; etenim ut hoc pœnitentis desiderio non obstante, iste coram Deo & verè absolveretur, necesse foret, ut esset conversus subito; & tamen nemo inficias ierit, quin hoc possit Deus; attamen hoc ita fieri solitum post ejusmodi vitæ genus, nemo quoque ausit asserere. Eò tendit, ut numquam absolvatur consuetudinarius extra casum necessitatis, nisi diu exercitus pœnitentiæ operibus, & prævia emendatione vitæ, ut magis colligetur ex dicendis.* Ad

Ad eventus verò particulares descendens, hoc in Comp, reimpresso 1684. pag. 253. ex ibi dictis elicit confectarium. Tertio insertur, etiam illis esse absolutionem differendam, qui etsi peccata mortalia deserere, eorumque occasiones rescindere velle profiteantur; nihilominus ob peccandi mortaliter consuetudinem, ob peccati gravitatem, pœnitendi languorem, ob pœnitentiæ & vite mutationis brevitatem, conversionem suam reddunt suspectam. Eò collimat, ut reddat suspectam eam omnem conversionem, quæ ex mutatione vitæ, & exercitiis pœnitentiæ præviis non patet, antequam absolutio impertiatur.

At quid si pœnitens consuetudinarius toto se corde dolere de præteritis, velle futura cavere, ad occasiones vitandas paratum, imò ad media à Confessario suggerenda adversus periculum relapsus accipienda promptum se affirmet, & exhibeat? Nihilominus, inquit, respondendum est, universa hæc non facere satis. Ita habet in Methodo tract. 1. q. 4. dub. 5. pag. 39.

Quin imo, profequitur pag. ead. Finge casum, quo centum aut plus eo consuetudinarios, nulla vite mutatione prævia, ob similia dicta protestationesque in Paschate absolveris; quot,

putas, numerabuntur, qui è tanto numero post
absolutionem vitam talem instituant, ut mores
eorum te adducant, qui credas & persuasum ha-
beas, quod veterem consuetudinem exuerint, no-
vamque induerint voluntatem absolutam & firmam
peccatis lethiferis universis & æternum renuntian-
di? An hoc non est velle, veram pœni-
tundinem & voluntatem absolutam ex
emendatione vitæ, absolutionem vel
Confessionem consequente dignosci
debere?

Confirmat id ibid. tr. 1. q. 4. dub.
1. pag. 63. Qui post confessionem media, quæ
prudens Confessarius censet esse necessaria, non
adhibuit, vel occasionibus, quas iudicarat fu-
giendas, se non subduxit, hic sincerum & efficax
propositum non habuisse, frequenter censendus est.

Pergit porro ibid. tract. 1. q. 4. dub.
5. pag. 90. Non admodum refert igitur,
quod pœnitens habeatur vir sincerus, ubi argumen-
ta hæcenus allegata contra subitam consuetudina-
riorum conversionem id non patiuntur, coguntque
potius ut cogitemus, quod pœnitens circa suam
ipsius conversionem fallatur, dum se verè conver-
sionem reputat, quando veri sufficientisque doloris &
conversionis gradum necdum attigit: Nempe
quia non nisi pœnitentiæ operibus,
& emendatione vitæ diu exercitus

C

(ejus

(ejus judicio) regulariter ad eum ascendit.

Sed videamus , quid præscribat circa consuetudinarios sponfos. Rem ita expedit in Methodo tract. 1. q. 4. dub. 13. pag. 116. 117. *Ecquid interea faciendum , si Pastorum monitis nullus relinquitur locus , sed sponsi prava consuetudine imbuti , ipso nuptiarum die , nulla vite mutatione pravia , confessuri Pastorem conveniunt ? si Pastor consuetudinarios esse noverat , eorumque tarditatem non immeritò coniecisset , illorum saluti potius consulisset ipsos domi suæ monendo , increpando , & quo poterat modo adducendo , ut dum tempus supererat , muneri suo facerent satis : si tamen post hæc omnia difficilis ille casus eveniat , quidquid obloquiorum , turbarum , aut incommodi consequatur , juxta hypotheses præmissas 3. potissimum & 4. agendum judico : id est , judico differendam esse absolutionem ; id enim illis hypothefibus præcipitur. Quid videtur , benevole Lector ? An hic etiam non adest periculum violationis figilli ?*

Prosequitur ead. pag. 116. circa eundem eventum sibi formare objectionem hanc : dices ; *saltem diluitur quam facillime hæc difficultas absolvendi sponfos consuetudinarios , si consuetudo sola inter*
se

se peccandi ex gr. fornicando, absolute indignos reddat, quia matrimonio inito hujus peccati periculo non exponuntur. Atque ad hanc ita respondet. Quasi verò absente peccati futuri periculo pœnitens in portu navigaret: neutiquam sanè; at verum odium & præteritorum detestatio æque necessaria sunt, & præter hæc vera ad Deum conversio: illa verò cum repente acquiri non soleant, nec illis quoque nisi notabilem vite mutationem præmiserint, à Deo infundi credendum erit. Censet ergo in casu & hos, tamquam non conversos, sine absolute dimittendos esse.

Pergit studere diluendis argumentis cæteris, quibus ejus praxis impeditur. Itaque rursus objicies, inquit tract. I. q. 4. object. 1. pag. 125. Fieri potest, ut consuetudinarii tempore dilata absolute moriantur. Sed his non terretur; quin imo objectionem ita instruit pag. 126. & 127. Ut objectio urgeat, ponatur pœnitens esse quidem sufficienter dispositus ad justitiam per absolute consequendam, sed non ut eam consequatur sine absolute. Tum verò hac ita se expedit: si hoc pacto foret dispositus, nonne res foret imprimis demiranda, quod divina Providentia sine- ret eum vitâ defungi tam infeliciter; eo inquam tempore, quo Confessarii id suadentis obsequitur

judicio? sed hoc magis demiraberis, si perpendas, quod ut talis damnaretur, debuisset providentia divina destinato consilio decrevisse, ipsum in vindictam anteactæ vitæ in flammâ infernales præcipitem dare. Facietne id Deus Opt. Max. homini sese in hunc modum paranti? Aliter sanè, aliter fidendum Deo, Vult igitur, etiam in casu differendam esse absolutionem; cætera verò divinæ Providentiæ esse committenda. An non magno hæc doctrina poenitentium sustineatur periculo, tu Lector perpende.

Procedit dein ibid. pag 129. ad objectionem hanc. Ponantur centum hujusmodi, qui percipiendæ absolutioni horulæ, aut dimidiæ spatio se præpararunt; quidam illorum, saltem paucissimi ritè convertuntur: deinde hoc posito, primum est fieri, ut ex illis verè conversis, quamquam paucissimis unus aliquis verè dispositus moriatur absolutione frustratus: atqui tantum est malum istud, ut ob id praxi huic (differendi absolutionem) non sit subscribendum: ergo, &c. Ad hanc verò difficultatem hæc reponit. Verum ut & hoc demus (unum scilicet è paucissimis illis facilè mori non absolutum) prorsus dissentior, ad istud unius incommodum avertendum, in illam (id est contrariam suæ) eundum esse praxim,

*praxim , utpote quæ incommoda incomparabi-
ter majora , non unius quippe , sed infinitæ prope-
modum hominum multitudinis adducit.*

At quæres fortasse , quid Virum in
praxim hanc severam impulerit ? Non
obscure id videtur innuere in Comp. im-
presso 1684. pag. 248. 249. ubi hæc lego.

*Fam verò ut fiat ejusmodi magni peccatoris
conversio , debet terrena delectatio tantum minui ,
& cælestis tantum augeri , ut jam vice versa hæc su-
peret illam , ubi ante fiebat oppositum. Et quamvis de
absoluta Dei potentia hæc fieri possint in momento ,
non solent tamen sine mora notabili , quia non nisi
intervenientibus pietatis. ac pœnitentiæ exercitiis ,
quibus cælestis augeatur sensim & terrena sensim mi-
nuatur ; nec nisi justum tempus impendatur preci-
bus , quibus ad hæc impetretur Dei gratia.*

Dices , si ad veram conversionem re-
quirantur hæc omnia ; cum nec in pec-
catore etiam unius tantum externi gra-
vioris peccati reo , delectatio illa terre-
na minui , nec cælestis adeo augeri in
momento soleat ; hæctenus allata viden-
tur conficere , quod peccator , qui peccato mortali
externo saltem & graviori Deum vel semel offen-
dit , prima vice , qua Confessarium absolvendus ac-
cedit , nequeat absolvi. Ad hæc ille (quæ
sibi objecerat in Meth. tract. 2. q. 7.

object. 6. pag. 202.) hæc reponit. Respon-
 sioni loco sit, quod Pœnitens priusquam Confessa-
 rium petiturus absolutionem primum accedat, potest
 sua sponte egisse ea omnia, quæ Confessarius ab-
 solutionem dilaturus, præmittenda absolutioni judi-
 caret: ac proinde eo eventu absolutio huic pœnitenti
 ne prima quidem vice differenda fuerit. Itaque
 quando ea sponte sua, antequam Con-
 fessarium accedit, pœnitens hic non
 cogit, etiam ei (Doctoris hujus judicio)
 differenda est absolutio.

Jam verò, si ex eo quæras, quam-
 diu illis Pœnitentiæ exercitiis pœnitens
 sit exercendus; item quamdiu constan-
 tem exhibere debeat emendationem vi-
 tæ; Respondet, donec Confessarius
 habeat moralem quandam de ejus con-
 versione certitudinem. Id manifestè
 colligitur ex iis, quæ dat ad casum
 hunc, quem sibi objicit loco proximè
 citato pag. 201. & hic subjicio. Fingamus,
 inquit, aliquem lapsum fuisse in crimen fornicationis
 aut adulterii, cujus notabilem displicentiam
 interea temporis non habuerit, donec se ad Confes-
 sionem paraturus horâ vel dimidiâ conscientiam
 examinet ante & discutiat; coneturque peccatum
 suum detestari: quis tam est facilis fidei, ut mo-
 raliter certum habeat, quod ille tempore tam exiguo
 magnum

magnum illud & indebitum vera & intima ad Deum conversionis donum à Deo impetrarit? Ac proinde tantum ac talem ab ipso consecutus sit de peccato dolorem, ut vera à tali facinore ad Deum conversio postulat.

At quanta debet esse illa moralis certitudo, ut ei acquiescere Confessario tutò liceat? Docet id iis, quæ dat ibid. pag. 197. 198. ad objectionem hanc 5. Si non liceat extra necessitatem absolvere Pœnitentem, de cujus dispositione dubitatur, numquam licebit eum absolvere; quia semper manebit tale dubium, cum dispositio sit in animo Pœnitentis. Audi igitur Instructorem. Suffragabor facile hinc confici, quod adipisci nequeamus certitudinem omnimodam; imo nec eam, quam physicam vocant; cujusmodi parari potest ex. g. de materia baptismi, Eucharistiæ, aut alia sensibili: ast quam optimè cum eo componitur certitudo moralis; qualem citra dubium postulabit Rex de fidelitate Gubernatoris, priusquam illum admovebit moderationi arcis vel civitatis, à qua regni pendet salus; si quidem cupiet esse moraliter certus, quod illi non sit animus regnum prodendi, præsertim si nil aliud urgeat, neque premat necessitas, illum præ cæteris ad id muneris evehendi.

Patet igitur, eum requirere, ut Confessarius, dum alicui credit absolutio-

nis beneficium *extra necessitatem*, habeat illam moralem certitudinem de dispositione Pœnitentis, quam requirit Rex de fidelitate ejus, cui credit arcis aut civitatis custodiam, à qua regni pendet *salus*; si nil aliud urgeat, ad ei illud munus credendum.

Hanc verò suam de morali illa certitudine doctrinam ita stabilit ibid. tract. 3. q. 4. dub. 2. pag. 294. quæres, inquit, *quandonam adest justa ratio dubitandi de Pœnitentis dispositione, ut propterea à Confessario sit examinandus?* Respondeo, tum examine opus esse, ubi neque confessio, neque confessionis modus, nec aliqua prudens Confessarius in suo pœnitente observat; addo nec pœnitentis notitia aliunde comparata, præstant Confessario moralem illam certitudinem (de qua in hypothesis tertia, quarta, & quinta) quod pœnitens ad Sacramentum cum effectu suscipiendum, sit sufficienter dispositus.

Ne verò cuiquam praxis hæc requirendi tam multa, & ardua ante beneficium absolutionis, videri posset peregrina, jubet in method. Tr. 1. q. 4. argum. adduc. pag. 84. eam esse antiquam, & usitatam. SS. Patres, inquit, multò majorem diuturnioremque præparationem atque pœnitentiam ante absolutionem à pœnitentibus,

bus, quam ante baptisma à Catechumenis postulabant, quamvis etiam Catechumeni innumeris ferme sceleribus, & pœnitentes unico obnoxii forent. Quis credat?

Consule, inquit ibid. pag. ead. si lubet, *Canones Pœnitentiales*, quibus unica fornicatio septem annorum pœnitentiâ, & decem annorum adulterium multabatur.

Ex dictis facilè conficies, non adeo mirandum esse, quod rigido Magistro in method. Tract. 1. q. 4. dub. 3. pag. 67. hoc exciderit crudum dogma. *Confessiones & Communiones, quæ durante consuetudine recidendi peractæ fuerunt, plerumque tamquam sacrilegia confiteri oportet: manetq; præterea arcta obligatio denuò confitendi peccata mortalia, quæ quis malè confessus fuit; hoc est, præter Confessiones & Communiones mortiferè sacrilegas, illa quoque mortalia, quæ obtinente relabendi consuetudine confessus est, de integro confiteri oportet.* At verò, nonne hæc praxis facit confessionem carnificinam Conscientiarum?

Quid etiam censebimus de hoc efato, quod sustinuit Præses in The-
sibus 28. Aprilis 1689. Pertinenti 2. Non valet hæc regula; Confessarius absolutionem impendere aut differre debet, pro ut pœnitenti iudicat esse utile? Non

Non agam tamen hic Criticum, nec statuam aliquid severius de scopo totius doctrinæ hujus de differenda passim absolute extra necessitatem, hæctenus exhibita. Non affirmabo hæc tacitè eò ducere, ut praxis absolvendi mox, videri possit ut evertens ordinem pœnitentiæ à Christo institutum, & merus esse abusus, &c. Memorem interea te, Lector, esse volo, inter propositiones 31. ab Alexandro VIII. proscriptas, ordine 17. esse hanc: *Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.* & 18. *Consuetudo moderna quo ad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.* Addo etiam 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolute, induxit, non politica, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.* Non patior etiam Lectorem requirere 22. *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.* An cum temerariis, scandalosis, erroneis, &c. dogmatibus his, Huygenia-

na habeant aliquid affine, judicent quibus id incumbit.

Pergo exhibere quod tradit in Comp. reimpresso 1684. pag. 250. *Non probamus . . . quod quis continuè præterita vitæ peccata iteratò confiteatur, ad obtinendum toties, ut aiunt, effectum Sacramenti.*

Hactenus Dogmatistæ nostro sermo fuit de praxi absolutionis respectu peccatorum mortalium. Absolutionem verò venialium frequentem quod attinet, eam satis abjudicat in Method. Tract. 1. quæst. 4. object. 6. pag. 142. & seqq. quia verò hæc arrodunt praxim communem Familiarum Religiosorum, huic incommodo sic occurrit Ibid. pag. 145. *Hiscæ adversari videbuntur nonnulla Religiosorum statuta, quæ frequentem admodum præscribunt confessionem. Ad quæ ego resp. Pium est instituire confessionem, quam nulla etiam sequatur absolutio, nec expectetur securura, nisi quando constat de sufficienti dolore & proposito; aliud namque est confiteri, aliud absolvi. Præterea ejusmodi statuta nihil doctrinæ huic derogant; præcipi enim iis non potest, ut absolutio cum Sacramenti irreverentiæ periculo imperiatur. Improbat igitur hæc Religiosorum statuta, nisi ea intelligi patiaris*
de

de Confessione , quam non sequatur absolutio.

Quia verò in comperto est , eam praxim valde familiarem fuisse viris sanctitate eminentibus , ut & argumento inde formato occurrat ; *Si quis* , inquit *ibid pag. 145. eo enitatur , ut illorum assequatur dispositionem , sequatur & confitentes ; non improbabitur.* Reliquam ergo turbam piorum hominum , qui non sunt *sanctitate eminentes* , jubet esse contentos frequenti confessione venialium , quam non sequatur absolutio.

§. 13.

*Doctrina D. Gummari Huygens
de interrogandis Pœnitentibus
in materia lubrica.*

Circa illas interrogationes sustinuit 9. Febr. 1680. Conclusionem 1. *assertionem hanc. Pœnitentes de peccatis impudicitia, etsi nihil eorum ultro aperiant , frequenter admodum sunt interrogandi.*

Conformis est hæc doctrinæ , quam tradit in *Comp. impresso 1684. pag. 251. & 252. Quod pœnitentium multi examinandi sunt*
cir-

circa peccata contra castitatem, etiam occultiora, & quæ apud se solos committunt, hæc tria evincunt: peccatorum istorum frequentia, pudor qui illorum declarationem impedit, & ignorantia, cum qua sæpe committuntur.

Doctrinam hanc in *dam. Comp. pag. 21.* urserat etiam injiciendo scrupulos. Sequitur illos Confessarios non debite fungi suo officio, qui pœnitentes suos numquam examinandos putent in iis, quæ sunt contra jus nature, dum istorum ultro non faciunt mentionem: nec excusare se possunt, quod æstiment ignorantiam invincibilem juris nature, excusare ista peccata, nisi omnem ferè instructionem eo titulo è Christianismo eliminandam putent.

Hæc generica posuerat. Pergit dein in *Thesibus de Castitate*, quibus præsedit mense Junio 1690. Conclusionem 4. in qua agit de modo confitentes super vitiis luxuriæ examinandi & instruendi, proponere speciatim, circa quæ unaquæque ætas pro suo, quem obtinet, statu examinari debeat. Postquam præmiserat pedetentim & à generalioribus esse incipiendum; à pueris sic exorditur *Conclus. cit. §. 2. pag. 42. colum. 2. ex. gr. à pueris petendo, an ludant aliquando cum aliis pueris, in horreis, stabulis, granariis, aut aliis locis, ubi non videntur.*

Item

Item an dormiant soli; & si cum aliis, cum quibus? Præterea utrum alius vel alia voluerit tetangere, vel à te tangi inhonestè.

Ab adolescentibus vel puellis magis adultis: an habeant conversationem cum personis alterius sexus: an audiverint illâ occasione impudica: an sollicitatæ fuerint ab adolescentibus ad impudica: an ipsi impudica aliqua proposuerint, vel facere inceperint.

Porrò ab istis generalibus descendendum est ad magis particularia magisque pudenda, de quibus postea.

Explanans dein illa particularia circa singulas ætates, ibid. §. 4. pag. 45. col. 2. præmittit hæc. Pueri examinandi sunt de illis, ratione quorum pueri generatim, vel speciatim hi pueri (puta Rusticani, alentes cuniculos, columbas &c.) attenta notitiâ quam de illis habet Confessarius, iudicare debet esse morale periculum, ne, si examen omittat, pueri vel non curentur à præteritis, vel non præserventur à futuris, vel Sacramentum suscipiant indigne; vel pro ut sæpe, ne omnia illa eveniant.

Tum subdit pag. ead. & seq. Ordinariè & maximè videntur periclitari ratione tactuum impudicorum mutui corporis, non solum cum aliis pueris, sed etiam cum famulis & ancillis condormientibus: deinde ratione similibus tactuum proprii corporis: præterea ratione aspectuum impudico-

rum & collocationum. De omnibus illis proinde examinandi sunt.

Modus conveniens videtur ordinariè ille, quem §. 2. descripsimus, incipiendo nimirum à generatioribus, item à levioribus; quibus præmissis, interrogari poterunt: an aliquando cum aliis luserint scædos aliquos aut inhonestos lusus? Sin ita; quales isti fuerint? Similiter, an ejusmodi aspectus admiserint vel commiserint respectu aliorum?

Pariter de ejusmodi scædis vel inhonestis respectu proprii corporis interrogari poterunt, pro ut etiam de locutionibus & auditionibus rerum turpium sive obscenarum.

A pueris transit ad Adultos; circa quos ibidem §. 2. pag. 46. col. 2. agens de modo, quo etiam adulti examinentur sine magna confusione de peccatis impudicitæ in pueritia commissis, subnectit sequentia.

Primò admodum frequens esse, quod in pueritia committantur multa per ignorantiam contra castitatem, adeoque non mirum fore, si etiam ipsi, id est, pœnitenti quocum agit, quandoque talia evenerint; pro ut etiam quibusdam aliis jam eminenter castis. Poteruntque à Confessario per modum exempli, & quasi conjiciendo allegari illa impudica, quibus hunc pœnitentem suspicatur fuisse fortassis subjectum. Quin subinde juvabit etiam deteriora aliqua, nimirum per modum exempli, proponere,
ut

ut hac ratione pœnitens faciliteretur ad confitendum sua, quæ sunt minora.

Secundò præfari poterit in hunc modum : reperiuntur qui in iuventute quædam commiserunt, ratione quorum postea sunt admodum anxii ac dubii, num ea debuerint exprimi in confessione ; nihil autem esse facilius, quam se ab ejusmodi anxietate expedire. Quibus præmissis, interrogari poterit pœnitens, an tale quid ipsi aliquando evenerit ? Præterea ; an illud postea fuerit confessus ? Si Respondeat se confessum non fuisse : rogandus erit pœnitens, ut illud jam dicere non erubescat : quandoquidem sit commune ex ignorantia quædam committi contra castitatem, quæ, etsi in se sint satis pudenda ; nihilominus in ista ætate frequenter committuntur : atque hinc facillimè habetur occasio ulterius procedendi.

Quo ad personas nobiles, audi eum §. 6. pag. 47. col. 1. & 2. Quod ad particularia attinet respectu pœnitentium qui nobiles sunt, convenit eos servatis servandis examinare de consensu in delectationes impudicas, saltem sub conditione conjugii cum aliquo vel aliqua generatim, vel cum hoc illave speciatim. Ab isto consensu jam admissio potest procedi ad interrogandum de fœdis corporis commotionibus, atque ulterius ad pollutiones in proprio corpore inde fortassè secutas, & ad consensum, etiam expressum, in illas delectationes.

Simi-

Similiter personæ nubiles examinanda sunt circa externa, incipiendo iterum à generalioribus & minus pudendis; de conversatione scilicet cum personis alterius sexus, & de venereis aspectibus, de locutionibus & cantilenis venereis, osculis, & de scædioribus inter hæc, de venereis tactibus, & absurdis amplexibus, & de abominandis quibusdam inter hos absurditatibus, quas insinuavimus Conc. 2. §. 7.

Ibid, pag. 48. Col. 1. *Iidem etiam examinandi sunt de conversatione, & præcipuè condormitione cum personis ejusdem sexus, petendo an soli dormiant, an non: si non, an per visum, colloctiones, aut tactus nihil indecori mutuo respectu committant.*

Et si quidem honestiores sunt, de his examinari poterunt modo aliquo, qui respondet æstimationi, quam de illis habemus: si verò sint absurdi, examinandi sunt quasi supponendo quod committant, de quibus interrogantur.

Personæ nubiles quoque examinanda sunt de aspectibus inhonestis proprii corporis: etiam ille, quæ nihil inhonesti faciunt aut admittunt respectu personarum alterius sexus, etiam respectu aliarum ejusdem sexus.

§. verò 12. pag. 52. Col. 1. hanc Confessariis dat admonitionem. Confessarium scire oportet, officii sui esse, ut suos libe-

D

rare

rare ac præservare conetur à mortalibus omnibus, adeoque non tantum à commissis & committendis per executionem in propria persona, sed etiam ab illis, quæ vocantur peccata aliena; sive quorum reatus spectat ad ipsos, etiamsi executio fiat per personam alienam.

Nauseat calamus & animus pluribus prosequi materiam fœdam, de qua variis paragraphis examen præscribit institui cum personis, quæ voto vel habitu externo castitatem profitentur; qui peccatum fornicationis commiserunt; qui conjugium jam ineunt; aut conjugati sunt; qui vidui & viduæ, &c.

Non notabo etiam Censurâ duriore instructiones has. Non dissimulabo tamen, eas adversari directè, Primò Decretis & Statutis Synodi Mechliniensis habitæ Anno 1609. & Buscoducensis celebratæ Anno 1612. Secundò, Mandatis Episcoporum in Formulis consuetis Approbationis Confessariorum. Audi de hac re Synodum Mechliniensem tit. 5. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 1. Confessarii prudentes sint ac circumspecti, non solum in injungendis pœnitentiis (ideoque etiam pro peccato occulto pœnitentiam publicam non imponant) verum etiam in examinando pœnitentes, præsertim
cit-

circa vitia carnis ; ne indiscretis interrogationibus eos doceant peccata quæ ignorant , vel aliter scandalisent. Eadem ad verbum habet Buscoducense tit. 6. cap. 10.

Instructio , quam Confessariis in formula Approbationis dat Illustrissimus Mechliniensis , hæc est : In primis monentur seriò omnes & singuli Confessarii , ut parcè , castè , & valde cautè interrogent circa peccata carnis , non solum quando Virgines habent confitentes , sed etiam quando conjugatos , aut quoscumque calibes. Iisdem planè verbis instructionem pro suis Confessariis cum Synodo Namurcensi habita 1659. titulo 5 cap. 16. exprimunt Illustrissimi Gandensis , Bruggensis , Ruremundensis , Vicariatus Iprensis ; & ferè Illustrissimus Antverpiensis.

Accipe etiam S. Carolum Borromæum in instructionibus Confessoriorum pag. 172. In peccatis verò luxuria summam animi solertiam cum pari circumspectione verborum debet usurpare. Itaque cum in iis speciem peccati & circumstantias , quæ multum præggravant illud , satis intellexerit , ulterius nihil studeat inquirere. Pergit pag. 173. Præ cæteris tamen providus cautusque sit oportet , ac modum congruentem sciat , quo pueri ac puella interrogentur , ne fortè quæ prius ignorabant , eos doceat. Sapien-

tissimo igitur consilio Exemplaria The-
sium Huygenianarum, examen illud
lubricum præscribentium, ex omnium
manibus ad vitanda scandala, Bruxellis
(ut audio) excussa voluit Sanctius Con-
cilium, & per Fiscalem sollicitè collecta
ad se deferri, & supprimi.

§. 14.

*Doctrina D. Gummari Huygens
circa usum notitiæ haustæ ex
Confessione.*

Circa usum hunc notitiæ hanc in
dam. Comp. pag. 75. condit Re-
gulam. *Qui ex Sacramentali sibi facta confessione
novit crimen alicujus, non potest sine perjurio ju-
rare, se illud in confessione non audivisse; quam-
cumque interim mentis restrictionem in subsidium
vocet, ut ex Gr. si mente intelligat, quod non
audierit, ut homo. An hæc patitur figil-
lum Sacramentale?*

§. 15.

*Doctrina D. Gummari Huygens
circa Sacramentum Matrimonii.*

Circa statum hujus Sacramenti ita
suos Alumnos instruit Confer.
22. part. 1. propos. 4. pag. 128. *Hæc
adco*

adeo vera sunt, ut nisi conjuges speciali gratiâ à Deo praveniantur & adjuventur, infallibiliter succumbant; ita quidem, ut in hisce mortaliter delinquentes constituantur rei æternæ damnationis, quamquam præstent de cetero omnia, propter quæ fuissent salvandi extra matrimonium. Nonne hæc respiciunt Manichæismum matrimonia damnantem?

Eodem tendere videtur hæc propositio, quam ponit in Comp. reimpresso Anno 1884. Impertinenti 109. pag. 332. *Status matrimonialis potest suaderi alicui, sed vix alteri, quam qui se non continet.*

Ibidem impertinenti 62. pag. 323. Viduis tradit hoc dogma. *Vidua, quæ ex anteriori Matrimonio didicit se habituram abortus, si rursus contrahat matrimonium, illicitè illud contrahit.*

Circa usum matrimonii hæc definit in dam. Comp. pag. 84. *Temperans ... non est ... ille, qui non aliter quàm procreandæ (nisi & regenerandæ) prolis causâ conjugio utitur.*

§. 16.

*Doctrina D. Gummari Huygens
de pœna Parvulorum sine Bap-
tismo morientium.*

DE hac in Comp. reimpresso 1684. Impertinenti 66. pag. 324. more
D 3 suo

fuo enuntiat severè. Ut tamen cogitationem suam sub larvata ratione instillet mollius, ita effatur: Dum vulgus audit, parvulos sine baptismo discedentes non puniri poenâ sensus, verendum ne plurimi, potissimum impudici, propterea procurent abortum, alias non procuraturi. Hoc scrupulo ductus, concinnat hoc dogma. Quare non minus est populo salutaris, quam vera doctrina, que docet parvulos istos puniri poena sensus; eamque etsi putetur inter infernales mitissima, esse tamen absolute valde horrendam & atrocem, præterquam quod etiam sit æterna.

§. 17.

Doctrina D. Gummari Huygens circa præcepta Ecclesiæ de audienda Missa; de jejunio; de sumptione cibi & potus.

Ejus doctrina de audienda Missa, hæc est in Comp. reimpresso 1684. Impert. 80. pag. 327. Qui cum voluntate peccatum mortale committendi aut continuandi, Missam audit die festo, in Ecclesiâ & Dei præceptum impingit.

Leges & consuetudinem jejunii ita coarctat ibid. Impert. 55. pag. 322. Non solum naturali, sed & positivo jejunii præcepto adversantur hæc nimium generales Regula:

la: ante vigesimum primum, & post sexagesimum
 etatis annum non tenemur jejunare.

Et, liquidum non frangit jejunium. Ad-
 versatur D. Thomæ, & omnium Na-
 tionum Theologis, & communissimæ
 fidelium praxi.

Circa usum Cibi & Potûs postquam
 in dam. Comp. pag. 86. posuisset hæc:
 Cibus & Potus sumendi sunt ex solo amore istius
 finis, ad quem à Deo ordinantur. Proximus finis
 est conveniens dispositio corporis; remotior functio-
 nes animæ; ultimus Deus ipse; Hanc juxta
 sua principia tradit doctrinam: Qui co-
 medit & bibit solummodo ob duos priores fines,
 non est ab omni omnino peccato immunis.

§. 18.

*Doctrina D. Gummari Huygens
 circa Cultum sanctissimæ Vir-
 ginis, & Sanctorum.*

MOdum præscripturus, quo sanctif-
 simam semperque Immaculatam
 Matrem venerari & coli oporteat, in
 Comp. reimpresso 1684. pag. 211.
 hunc ponit non dissimulatè. Deipa-
 ra non rectè colitur & amatur nisi propter Deum:
 adeo-

adeoque non omnino rectè ab illis , in quibus nec Dei cultus est ; nec ulla Dei dilectio. Nonne hæc à saluberrima Virginis invocatione graves peccatores deterrent & avocant ?


Non minùs piïssimæ Sanctorum venerationi inimica sunt hæc , quæ protrudit ibid. pag. 212. *Martyres honorare, & non imitari, nihil aliud est, quam mendaciter adulari.*


Habes benevole Lector , Doctrinæ D. Gummari Huygens è multis specimen , ut dixi , quædam.


A P P R O B A T I O.


Libellus hic, cui Titulus, *Doctrina Theologica D. Gummari Huygens in quibusdam specimenibus exhibita à Rudolpho ab Amstelbeeck*, utiliter imprimetur. Dabam Lovanii 12 Decembris Anni 1691.


NICOLAUS DU BOIS
Lib. Censor, &c.

















statera
Libelli
famosi
De
Malino.

DI

Th

447

20